

Dianam vero pro ea ceruam immolandam substituisse. Sed nec Deus verus ibi immolari sibi iusserat, vt hic, sed malus demon, nec obtulerunt Græci ex fide, vt Abraham. Et commentum de cerua substituta ipsa Clytemnestra mater apud poetam redarguit.

Doctrinam multiplicem habet historia. Primo, quod Deus varie quidem & saepe grauius tentet fidem suorum, sed nunquam supra vires: Et quod tentationibus letam efficiat catastrophem, iuxta & promissionem Apostoli 1. Cor. 10. 13. Deinde inuictæ fidei exemplum sedulo eis intuentum, Abraham Isaacum, pater filium Deo immolaturus, in fiducia promissæ benedictionis minime vacillat. statuens Deum vel à mortuis eum excitare & promissiones suas implere posse Hebr. 11. 19. Tertio Abrahami obedientia docet nos ipsam naturam exuere, & rebus charissimis renunciare, cum sic Deus iubet, iuxta doctrinam Christi, Luc. 14. 26. Qui ad me venit, & non odit patrem suum & matrem & uxorem & liberos & fratres & sorores, atq; adeo etiam animam suam, non potest meus esse discipulus. Denique mysterium nostræ redemptionis per Christum egregie adumbratum hic intuemur. Abraham refert Deum patrem, qui proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Isaac spontanea obedientia, se victimam submit- tens patri, gestans ligna ligatus, & ara impositus Filium Dei representat, qui peccata nostra pertulit pro nobis in corpore suo super lignum, factus patri obediens vsq; ad mortē, mortem vero crucis. Narrationis de immolatione Isaaci subiicitur insigne elogium Abrahami, & denuo ei confirmantur promissiones superiores in tanta fidei & obedientiæ condignum premium, sed mere gratuitum. In fine quedam de familia Rebecca attextuntur, quæ sunt parasceue ad sequentē historiam, de nuptiis Isaaci.

Tres igitur sunt partes capituli.

- I. Oblatio Isaaci vsq; ad ver. 15.
- II. Promissionum confirmatio, vsq; ad ver. 20.
- III. Posteritas Nachoris & familia Rebecca.

PRIMA PARS CAPITIS

Oblatio Isaaci.

- 1 Fuit autem, rebus istis transactis, Deus ipse tentauit Abrahamum, dicendo ad eum, Abraham: qui respondit: Ecce ego.
- 2 Et dixit: accipe nunc filium tuum vnicum illum tuum, quem amas, nempe Isaac, & vade in terram Morriach, & offer eum ibi holocaustum, super vno è montibus, quem dixerō tibi.
- 3 Surrexit itaq; Abraham mane, & alligauit asinum suum, & assumpsit duos puerorum suorum secum, & Isaacum filium suum, cumq; concidisset ligna holocausti, surrexit atque perrexit ad locum, quem dixerat ei Deus.
- 4 Die tertio eleuauit Abraham oculos suos, & vidit locum illum à longe.
- 5 Dixitq; Abraham pueris suis. Sedete vos hic cum asino: Ego vero & puer pergemus illuc: vsq; & adorabimus & reuertemur ad vos.
- 6 Et accepit Abraham ligna holocausti, posuitque ea super Isaac filium suum, ipse vero tulit in manu sua ignem & gladium, & perrexerunt ambo illi pariter.
- 7 Dixit vero Isaac ad Abraham patrem suum, dixit inquam: Pater mi: qui respondit: Ecce ego mi fili. Et dixit: Ecce ignis & ligna, vbi vero ouis est ad holocaustum?
- 8 Et respondit Abraham: Deus prouidebit sibi pecus in holocaustum, mi fili, & perrexerunt ambo pariter.
- 9 Venerunt itaque in locum, quem dixerat ei Deus, & edificauit ibi Abraham altare, ac disposuit ligna, & ligauit Isaacum filium suum, posuitque eum super altare desuper ligna.
- 10 Extenditq; Abraham manum suam & accepit gladium, vt immolaret filium suum.
- 11 Tunc clamauit ad eum angelus Iehoua è cœlis & dixit: Abraham Abraham: qui dixit: ecce ego.